



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus Theologico-Moralis De Sacris Ecclesiasticorum Ministeriis, Hoc est, De Horis Canonicis, & Missæ Sacrificio

Biesmann, Caspar

Coloniæ Agrippinæ, Anno 1695.

Caput I. Explicatur essentia Eucharistia ut est Sacramentum, item ejus
Vnitas specifica & numerica.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42206



PARTIS SECUNDÆ
SECTIO PRIMA.

*De Eucharistia ut est Sa-
cramentum.*

C A P U T I.

*Explicatur essentia Eucharistia ut
est Sacramentum, item ejus
Unitas specifica & nu-
merica.*

Eucharistiæ Sacramentum pas-
sim his ferè verbis definitur:
Est Sacramentum Corporis &
Sanguinis Christi sub speciebus
panis & vini ad spiritualem ani-
mæ refectionem à Deo institu-
tum. Ex qua definitione patet
species Eucharistias pertinere ad
Eucharistiam tanquam sensibile
signum refectionis spiritualis;
Corpus verò & Sanguinem Chri-
sti tanquam spirituale animæ nu-
trimentum. Nam sicuti corpus
hominis reficitur pane & vino, ita
anima Corpore & Sanguine Chri-
sti.

Datur defi-
nitio Sacra-
menti.

sti. Unitas specifica hujus Sacra-
 menti desumitur à fine, ad quem
 institutum est; undè cum sit insti-
 tutum per modum convivii spiri-
 tualis ad reficiendam animam, ta-
 meti species panis & vini, imò
 quælibet illarum pars materialiter
 & physicè inter se differant,
 moraliter tamen in ratione con-
 vivii, ad quod integradum species
 panis & vini requiruntur, non est
 nisi unum Sacramentum. Unitas
 autem numerica hujus Sacra-
 menti desumitur ab una numero
 refectioe per unicam Commu-
 nionem facta, sive illam feceris
 sub una, sive sub utraque specie,
 sive per susceptionem unius Ho-
 stia, sive plurium, eaq; ab uno vel
 pluribus Sacerdotibus consecra-
 tæ fuerint. Ac proinde licèt phy-
 sicè loquendo tot sint numero Sa-
 cramenta, quot numero species
 seu partes specierum, moraliter
 tamen est unum numero Sacra-
 mentum, quod per modum unius
 sumitur, & ad unum finem, nimi-
 rum ad unam spiritualem refe-
 ctionem refertur. Adeoque com-
 municans si sub utraque specie
 communicet, aut per errorem ac-
 cipiat duas trèsvè hostias, non
 cense-

Ejus unitas
 specifica
 desumitur à
 fine, ad
 quem insti-
 tutum est.

Unitas na-
 merica ab
 una nume-
 ro refectio-
 ne spiritali,
 sive unam
 sive plures
 hostias si-
 mul acce-
 peris.

44 DE EUCHARIST.

censebitur duo, sed unum suscipere Sacramentum est commin. DD. Vid. S. Thom. q. 73. & alios.

CAPUT II.

De materia Hostia.

Materia hostia est solus panis triticeus.

Quid si tritico pauca grana hordei, aut alterius frumenti commixta.

Materia Hostia certò apta consecrari est solus panis ex farina triticea, & aqua naturali mixtus, in furno, aut alio simili modo per ignem excoctus. Vid. Decret. Eugenii IV. S. Thom. &c. Neque hic scrupulosè turbaberis sciens pauca grana hordei, aut alterius frumenti cum maxima quantitate tritici esse commolita, ex qua triticea farina adeò modicè mixta deindè conficiantur Hostia. Quia ut loquitur D. Thomas art. 3. in corp. ad usum Sacramentorum assumitur talis materia, quæ communius apud homines in talem usum venit, communissimè autem vescuntur homines pane pisto ex farina triticea non prorsus sincera. Accedit, quod humanam ferè industriam effugiat, quin unum, alterumve alterius speciei granum triticeæ farinae misceat-